

senas horas imposita, leucom sanant: verum  
postea hordeaceam farinam hydulæo suba-  
ctam adhibere oportet. Tollunt & vitilig-  
nes alphas dictas, ex aceto in sole illita: sed  
ubi inaruerint, absteigi ea oportet.

Libri secundi finis.



P E D A C I I D I O-  
S C O R I D I S A N A Z A R-  
bæi De Medica materia,

Liber III.

IANO ANTONIO SARA-  
CENO, LVGDVNÆO,  
INTERPRETE.

*Præfatio.*

P

RIORIBVS quidem libris,  
amantissime Aree, de aro-  
matis, vnguentis, oleis, arbo-  
ribus, earumque fructibus &  
lacrymis: deindeque de a-  
nimilibus, cerealibus, oleri-  
bus & acrimonia præditis herbis egimus. In  
S. j.

hoc verò tertio, de radicibus, succis, herbis  
& seminibus tum naturæ nostræ familiaria-  
bus, tum etiam medicamentosis, disle-  
remus.

*De Agarico. CAP. 4.*

**A**GARICUM radix fertur silphiij  
similis, non tamen densa summa  
facie, veluti silphium, sed tota ra-  
tior. Duo eius genera: mas in-  
quami, & foemina. Præfertur verò foemina,  
quæ quidem rectas intus habet pectinum  
modo venas & quasi diuisuras. Mas autem  
rotundus est, & vndique congener ac sui  
similis. Sed est similis utriusque gustus: sci-  
licet initio dulcis, mox ubi diffundi per os  
cœperit, in amaritudinem transit. Gignitur  
in Sarmatiæ regione, quæ Agaria dicitur.  
Sunt verò qui plantæ radicem esse affir-  
ment: alij uti fungos ex putredine nasci in  
arborum caudicibus. Nascitur & in Galatia  
Asia & Cilicia in cedris, sed friabile & infir-  
mius. Porrò Agaricum astringendi calfa-  
ciendique vim habet: estque efficax contra  
tormina, cruditates, rupta & casus ab alto.  
Datur verò binis obolis ex vino mulso fe-  
brim non sentientibus: febricitantibus au-  
tem, in aqua nullsa: itemque hepaticis,  
spiriosis, arquatis, dysentericis, nephriticis,  
ægrè meientibus, ab utero strangulatis, at-

que